



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

5. Quomodo se habeat finis ad obiectum adæquatum voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

tem negari, quin per hac verba explicetur ratio finis, quoniam Aristoteles inde probare solet aliquid esse finem, quia per illum respondemus quaestioni, propter quid. Denique quia constat remotum medium non ordinari ad finem ultimum, nisi mediante proximo medio, ad quod immediate refertur: imo nec habet convenientiam, & proportionem cum ipso fine, nisi mediante medio proximo: ergo ordinatur ad illud ut ad propinquum finem, seu terminum: ergo sub hac ratione participat illud medium rationem finis: unde tandem fit medium ultimum in electione, seu resolutione, quod est primum in usu & executione; non enim posset proprie dici finis cum non moueat ut finis, nec propter se aliquid moueat, sed omnino ipsum fiat propter aliud: ergo nec rationem causae, nec rationem termini, quae est in fine, proprie participat. Verum est, interdum Diuum Thomam 1. parte, questione quinta, articulo sexto, vocare bonum vile ut sic terminum proximum motionis voluntatis, sed illud intelligitur non proprie de ratione terminandi, quae est in fine, sed eo modo, quo omne obiectum, seu materia, circa quam versatur actus mentis, seu voluntatis, potest dici terminus eius, & adhuc sub ea ratione non ipsum obiectum, ad quod terminatur electio, seu motio interior voluntatis, sed ipsemet voluntatis actus est quasi secundum medium, quod ad finem ordinatur, talis electio fit propter finem consequendum.

VII. Ex dictis constat responsio ad fundamenta secundae & tertiae opinionis, quia prout a nobis exposita sunt, non sunt contraria, & ita fundamenta earum probant assertiones positas. Ad fundamenta vero primae opinionis, respondetur, quamuis medium, ut amatur propter finem, materialiter terminet actum voluntatis, tamen solum finem esse, qui trahit voluntatem ad huiusmodi materiale obiectum, quod non est appetibile, nisi ex bonitate finis. Ad primam vero probationem, quod utilitas est in medio, respondetur, si per utilitatem intelligamus formam aliquam, vel vim actiuam, ratione cuius medium conferat ad consequendum finem: verum est huiusmodi utilitatem esse in ipso medio; v. g. in portione amara est virtus expellendi prauum humorem, & sic de aliis: & hoc modo illa forma est aliqua bonitas conueniens illi rei, cuius est perfectio: nihilominus tamen respectu eius, qui amat huiusmodi rem solum ut medium, tota illa utilitas non est appetibilis, nisi ex bonitate finis, a quo quodammodo extrinsecè informatur. Et hoc modo loquendo de bonitate & utilitate medij ut appetibilis est ab operante propter finem, sic negatur intrinsecè in medio, sed extrinsecè a fine. Propter quod dixit D. Thom. 1. p. loco citato in num. praeced. bonum vile tantum esse analogicè bonum.

VIII. Ad secundam probationem respondetur comparando varia media ad finem, posse inueniri aequalitatem in ipsis medijs ut vtilia sunt ad finem, & tunc si voluntas eligat vnum praeter alio, tota causa finalis illius determinationis est finis, effectiua vero est voluntas liberè operans; & possunt in eadem terminatione duo distingui, vnum est absolutum, scilicet, quod voluntas hoc eligat praeter illo, & hoc non est necesse quod sit a fine, nec requirit causam finalem positiuam, quia illa comparatio praeter electionem vnius medij, solum addit negationem alterius, & ad non eligendum non requiritur specialis finis, sed solum quod illud medium non sit necessarium. Atque idem dicendum est (si contingat media esse inaequalia) voluntatem pro libertate sua eligere quod mi-

nus vtile est; quod, an facere possit, disputabimus inf. tract. 2. At verò quando media sunt inaequalia, & voluntas eligit quod est vtilius, totum illud attribuitur fini, ut causae finali, quia ille, quantum est de se, ad hoc totum mouet; quod si interdum voluntas non ita mouetur, non est ex defectu finis, sed ex libertate voluntatis, quae non patitur necessitatem a fine. Et hoc quidem verum est quando excessus medij est proprie ac formaliter in vtilitate: nam si contingat esse in aliis conditionibus, v. g. quia est suauius, vel delectabilius, tunc non solum a fine, sed ab ipso medio provenit, quod voluntas magis ad illud trahatur, quam ad aliud, sed sub ea ratione medij non se habet ut pure medium, sed admiscetur aliqua ratio finalis finis proximi, quia res illa, quae est medium, iam non solum amatur propter vtilitatem ad aliud, sed etiam, quia est aliquo modo per se bona & amabilis.

SECTIO V.

Quomodo se habeat finis ad obiectum adaequatum voluntatis.

DECISIO huius quaestiones ex praecedenti haberi potest, & a D. Thoma tangitur 1. 2. quest. 1. art. 1. eritque vtilis ad ea quae dicenda sunt, & ideo breuiter praemittenda. Ratio autem dubitandi est, quia obiectum adaequatum voluntatis est bonum: diximus autem, non omne bonum habere causalitatem finis, sed solum illud, quod est propter se amabile, non autem bonum vile, ut sic. Vnde Aristoteles 1. magnor. moral. cap. 5. Bonorum, inquit, quaedam sunt finis, quaedam vero non: unde concluditur argumentum, quia voluntatis obiectum est omne id, circa quod voluntas versatur, non solum autem versatur circa finem, sed etiam circa media: ergo non est finis obiectum adaequatum. In contrarium autem est, quia Diuus Thomas citato articulo 1. dicit, finem esse obiectum voluntatis; & videtur loqui de obiecto adaequato, quia alias non recte concluderet voluntatem omnia operari secundum rationem finis, quia potentia operatur omnia sub ratione obiecti sui: est enim hoc verum de obiecto adaequato, & non de alio, & ideo comparat Diuus Thomas finem respectu voluntatis colori respectu visus: est autem color obiectum adaequatum visus. Confirmari potest ex Aristotele 2. Physic. capite 3. dicens: finem & bonum idem esse. & 1. Ethic. cap. 7. Aliud esse vniuersumque res bonum, cuius gratia operatur: ergo sicut bonum, ita & finis est obiectum adaequatum voluntatis, quia quidquid voluntas amat est finis, vel propter finem.

In hac re, qui affirmant, media, ut media, habere causalitatem finis, facile concedunt, finem esse obiectum adaequatum voluntatis sub fine media comprehendendo. Alij verò, qui illud negant, docent, finem esse obiectum principale voluntatis, quia omnia, quae voluntas vult, aliquo modo ordinantur in finem: non tamen adaequatum, quia non quidquid voluntas vult, est finis. Alij autem distinctione vtuntur, Conrad. ad citatum articulum 1. distinguit duplex obiectum voluntatis, scilicet per se, & per accidens, & dicit, obiectum adaequatum per se, tam motiuum, quam terminatum esse finem, media verò solum esse obiecta per accidens. Alij denique Thomistae distinguunt de obiecto motiuo, & terminatiuo, & docent, finem esse adaequatum obiectum motiuum voluntatis: non autem termi-

I. Non videri finem adaequatum obiectum voluntatis.

II. Auctorum varietas in presenti quaestione.

Handwritten notes in the right margin, including "SIVA REZ" and "12. V. 3".

natiuum, quia voluntatis actus etiam ad media terminantur. Et hæc sententia magis ad veritatem accedit, quam alio modo, ita declaro. Possimus enim loqui aut de obiecto formali, quod est voluntati ratio operandi: aut de materiali obiecto, circa quod voluntas operatur, ut videre est in exemplis supra positis, sectione præcedenti numero 5. de amore proximi propter Deum, vel adorationis imaginis propter rem representatam: nam res, quæ amatur, vel adoratur, est diuina voluntas, vel excellentia præcepti, & ideo merito datur obiectum formale in istis.

III.
1. Assertio
vnde probatur.

Dico ergo primo, rationem adequatam operandi voluntatis, atque adeo formale obiectum adequatum voluntatis esse finem. Hanc existimo esse mentem Diui Thomæ loco citato, & eam probant, quæ posteriori loco adducta sunt in ratione dubitandi: & sequitur ex dictis in sectione præcedenti, quia tota causalitas finis est in ipso fine non solum respectu sui, sed etiam respectu mediorum: ergo solus finis est adata ratio operandi voluntatis, quia illud est voluntatis ratio operandi, quod illam attrahit, seu mouet ad operandum. Est autem aduertendum, sermone esse de voluntate operandi propriè ex causalitate finis, in qua non solum exterior effectus, sed etiam interior actus est ex causalitate finis: nam si sit sermo de diuina voluntate amante Deum ipsum propter summam bonitatem, obiectum eius propriè non est finis: quia ille actus non est ex causalitate finis: tamen in hoc habet proportionem, quod est de re propter se bona & amabili, quamuis sine causalitate propter summam perfectionem.

IV.

Sed obieci, quia interdum voluntas nostra operatur circa aliquod obiectum, nec intendendo illud ut finem, nec eligendo propter finem, sed per simplicem quandam complacenciam volendo illud actum imperfecto, quem *reuerentiam* vocant: ergo ratio talis actus nullo modo est finis. Cuius signum etiam est, quia talis actus versatur etiam circa rem impossibilem: finis autem cum dicat ordinem ad esse, & ad executionem, semper est aliquid possibile. Respondetur huiusmodi actum semper versari circa obiectum, propter aliquam bonitatem, que in ipso apparet, vel absolute, vel sub aliqua conditione: & hoc modo etiam ille actus est ex causalitate finis, quia tale obiectum per illam bonitatem mouet & trahit illam voluntatem ad efficiendam simplicem affectionem, & hoc modo etiam ille actus est ex causalitate finis, non quidem ut dicat ordinem ad intentionem, vel executionem, de quo procedit argumentum factum, sed solum ut dicat ordinem ad effectum voluntatis, quem excitat.

V.
2. Assertio
vnde probatur.

Dico secundò, finem non esse obiectum materiale adequatum voluntatis. Hoc probat prior ratio dubitandi in principio posita, quia voluntas etiam versatur circa media: nec recte appellantur media solum obiecta per accidens voluntatis, ad eum modum, quæ substantia, v. g. dicitur obiectum per accidens visus, nam potentia non attingit per proprium actum huiusmodi obiectum per accidens, sed solum attingit obiectum per se, quod coniungitur obiecto per accidens, quod valde remote & extrinsece accipit hanc denominationem: at verò voluntas verè ac propriè versatur circa media immediate & in se attingendo illa per proprium actum distinctum ab illo, quo versatur circa finem, quo immediate vult & eligit ipsa media: comprehenduntur ergo sub obiecto per se, quamuis materiali.

Sed quæret aliquis, an totum materiale obiectum voluntatis comprehendatur sub hoc distincto, finis vel medij: nam Scotus in 1. distin. 1. quæst. 3. negat, quia potest voluntas, inquit, habere aliquem actum, qui nec versetur circa finem, nec circa media, quia potest voluntas esse de bono nec propter se, quod spectat ad finem; nec propter aliud quod pertinet ad media, sed abstrahere de bono ut sic, abstrahendo à bono propter se, vel propter aliud: hoc enim obiectum apprehendi potest per intellectum, qui quamlibet rationem potest abstrahere, & est sufficiens ad mouendam voluntatem: ergo est etiam sufficiens a materia circa quam versatur actus eius. Imò etiam sequitur contra priorem assertionem, formalem rationem obiectiuam talis actus non esse finem, sed aliquid abstractum, & vniuersalius sine. Et pro hac sententia citari solent alij Nominales in illa distinctione prima, Ochan, Gabriel, Maior, & alij, qui dicunt, dari actum medium inter cœcitate[m] & visum: sed hie trasse alio sensu locuti sunt, ut videbimus infra agentes de his actibus.

VI.
Quæstio
la subortit,
an medium
simul & fi-
nis sint ada-
quatam ob-
iectum vo-
luntatis.

Dicendum tamen est, omnia obiecta voluntatis sufficienter comprehendi sub fine & medijs intelligendo, ut dixi, nomine finis, quicquid propter suam bonitatem amatur, siue ametur actu efficaci, siue non efficaci, siue sit primario intentum, siue secundario, tanquam quid coniuictum fini primario. Hæc conclusio colligitur ex Aristotele 3. Ethicor. c. 3. & 4. quæ tenet in rationibus, quibus ibi videtur distinguit fines, & media tanquam duo membra completentia totum obiectum voluntatis. Et eodem modo philosophatur Nylsenus sine Nemelius lib. 5. Philosophia, c. 4. & Damascen lib. 2. de fide cap. 22. & D. Augustinus 1. de doct. Christian. cap. 8. vbi omnia bona à voluntate amabilia ad ea reuocat quibus vtendum est, vel fruendum. Idem sumitur ex D. Thoma 1. cor. Gent. cap. 86. & 1. 2. q. 8. vbi Caeteran. art. 1. alijq. etiam Thomista hoc sequuntur: Gregor. in 1. dubio 1. qu. 1. Probatur ratione, quia omne bonum amatur vel propter se, vel propter aliud; ergo vel ut finis, vel ut medium: sed illud duo opponuntur contradicitoriè, quia in obiecto, quod propter se amatur, ut sic, includitur negatio, videlicet, quòd non ametur propter bonitatem alterius: ergo inter illa duo non potest medium inueniri, quia hoc ipso, quòd medium non ordinetur ad aliud, propter quod amatur, amabitur propter se: & ostendo sic, quia quicquid amatur à voluntate est bonum, honestum, delectabile, aut vtile: sed duo priora habent rationem finis, quantum est de se, quia ex se habent vnde amantur: quod si interdum ad aliud referantur, est illis extrinsecum, & tunc inducitur rationem medij. Tertium autem bonum, scil. vtile, propriam habet rationem medij.

VII.
Veraref-
lucio.

Ad hoc respondet Scot. posse amari bonum, vel conueniens, ut ab his omnibus abstrahatur: sed hoc non recte dicitur, quia bonum aut est tale per intrinsecam bonitatem, aut solum per habitudinem ad extrinsecam bonitatem: priori modo habet rationem finis, posteriori vero rationem medij: non potest autem abstrahi vna ratio communis vtriusque, quia in huiusmodi analogia non datur ratio communis obiectiuam, sicut non potest intelligi quòd aliquis amet sanum in communi, ut abstrahit ab eo quod formaliter intrinsecè sanum est. & ab eo quod dicitur tale per habitudinem ad sanitatem: sed vnusquisque amat sanitatem propter seipsam: signum verò, vel instrumenta sanitatis propter ipsam: sicigitur quando quis amat bonum in communi, reuera amat illud

VIII.
Eusio Scoti
occluditur.

illud quod est in se, & per se conueniens, & ille est appetitus finis non in particulari, sed in communi; descendendo autem ad particularia bona, nullum est quod ab illis duabus rationibus abstrahat, scilicet propter se, vel propter aliud: igitur finis & media exhauriunt totum obiectum voluntatis.

SECTIO VI.

Quotuplex sit finis?

I. In hac Quæstione explicandæ sunt nonnullæ partitiones finis, quæ necessariæ sunt, & magnam lucem afferunt ad ea omnia quæ in discursu huius materiæ tractanda sunt; præsertim tamen quam in disput. 23. Metaph. sect. 2. & ad rem Theologicam accommodatè.

Primo ergo diuiditur finis in vltimum, & proximum siue non vltimum, quæ diuisio colligitur ex D. Thom. in hac quæstione, præsertim art. 4. & ab Aristot. 2. Physic. cap. 3. & aliis locis. Ut autem intelligantur singula membra, & aliquæ subdivisiones, communiter notandum est duo conuenire fini proprie dicto; primum est, vt propter se ametur, in quo includitur negatio ordinationis eius ad aliud, atque hinc fit vt omnis finis formaliter sub ratione finis consideratus habeat rationem vltimi: vnde si in dicta diuisione vltimus finis sub hac ratione sumatur, non vltimus dicitur solum illud medium. quod participat rationem finis, quatenus aliud ad ipsum ordinatur, sæpe autem contingit, vt particulare bonum, quamuis propter intrinsecam bonitatem ametur, simul tamen referatur in vltiorem finem, quomodo potest amari elemosyna, & propter intrinsecam misericordiz honestatem, & vt medium ad impetrandam veniam pro peccatis; atq; hoc modo talis finis dicitur non vltimus quia licet sub quadam ratione participet causalitatem finis, tamen voluntas in illo non sistit, sed vltimè rēdit: ille ergo dicitur vltimus absolute in quo sistit voluntas non referendo illud in aliud, qui quidem est vltimus in executione, quia illo confectio quiescit voluntatis motus; est autem primus in intentione, quia est id, quod primo propter se amatur.

II. Secundo conuenit fini vt alia propter ipsum amentur: & ex hoc capite potest illa diuisio aliter explicari, & membra eius subdividi: est enim quidam finis qui dicitur vltimus simpliciter: alter secundum quid, seu in aliqua serie, quomodo sanitas dicitur vltimus finis medicina, quia omnia, quæ cadunt sub hanc artem, ad hunc finem referuntur, & vltimè non tendunt, & sic de aliis: vltimè autem finis simpliciter subdividi potest. Nam quidam est ex natura institutus, & est ille, propter quem homo est creatus, ad quem debet se & omnia sua referre: alius vero est, quæ homo sibi instituit ex propria intentione, qui interdum est illemet, propter quem est creatus, scilicet Deus, & tunc dicitur habere homo verum vltimum finem simpliciter in intentione sua. Interdum vero hic finis intentus ab homine est distinctus ab illo propter quem est creatus, & talis dicitur vltimus finis falsus: ita vero amatus, ac si esset vltimus finis. Non est autem facile ad explicandum quomodo dicatur homo intendere aliquid vt vltimum, siue finem simpliciter: nam si dicamus de ratione huius finis esse vt homo se & omnia sua in illud referat, videtur sequi iustum quia interdum venialiter peccat non amare Deum vt vltimū finem quia non refert in illum omnes actus suos, nam actiones peccati venialis non re-

Dubium, quid sit finem esse vltimū simpliciter.

feruntur in Deum ab operante. Si vero dicamus vt quidam dicunt, de ratione finis vltimi esse, vt in eum referantur omnia, quæ sunt referibilia in ipsum hoc non erit proprium finis vltimi simpliciter, sed conuenit omni fini, qui est vltimus in aliqua serie, necesse est enim vt in eum referatur omnia, quæ ad ipsum pertinent, & non alia.

III. Quocirca de ratione finis vltimi simpliciter, in primis est, vt ex debito, & meritis eius, homo referat in ipsum se, & omnia sua absolute, & simpliciter: vnde, vt intentio vltimi finis vnde quaque perfecta sit, necesse est vt nihil in homine admittat, quod non sit referibile in talem finem; vt autem absolute & simpliciter conferuetur, quamuis non cum tota perfectione sua, satis est vt nihil admittat, quod sit absolute contrarium tali fini, & omnino repugnet consecutioni eius. Atq; hoc modo finis non vltimus proportionaliter distinguendus erit: nam respectu finis vltimi simpliciter, omnis finis alius particularis dicitur non vltimus: & similiter in vnaquaque serie, vel arte omnis alius finis, ad quem non referuntur omnia, dicitur non vltimus. Atque hinc intelligitur alia diuisio eius sub aliis terminis, quæ rem eandem aliis verbis continet: solet enim dici quidam finis vltimus positivè, alius vero negativè: rursus quidam finis vltimus vniuersalis, alius particularis: quidam finis vltimus operantis, alius v. tantū alicuius operis: quado enim finis vltimus talis est vt omnia simpliciter ad ipsum referantur, ille est vltimus etiam positivè, quia omnia in illud tendunt, & propter ea etiā est finis vltimus operantis, quia se & omnia sua in illum refert: quando finis vero est solum privatiuus in aliqua serie, vel aliquo ordine, tunc est particularis, & negativè, quia solum dicitur vltimus propter negationem vltioris termini in illo ordine.

IV. diuisio in finem cui? & finem cui, quæ diuisio sumitur ex Arist. 2. de anima c. 4. nā licet Arist. transferat finem quo & finem cui, tamen priora verba sunt magis consentanea textui Græco & Cui. & melius explicant sensum diuisionis: dicitur enim finis cuius forma illa, vel bonum, cuius adipiscendi gratia operatur voluntas, vt est, v. g. vitio beata, vel sanitas, & c. finis autem cui, dicitur persona ipsa, seu subiectum, cui bonum illud amatur, vel quaeritur, vt est homo, qui sibi quaerit sanitatem. Circa hanc vero diuisionem inquiri potest, an vtrumque eius membrorum habeat rationem finis. Quibusdam enim videtur solum finem cui, esse proprium finem, at verò finem cuius esse lato quodam modo finem. Ita Gabr. in 2. dub. 1. quæst. 5. secutus Otham ibi quæst. 3. art. 1. Et fundamentum eius est, quia de ratione finis proprie dicti est vt ametur amore amicitiz, finis autem cuius non amatur amore amicitiz, sed concupiscentiz, cum ametur alteri qui est finis cui, qui proprie amatur amore amicitiz: & videtur sentire D. Thomas prima secunde, quæst. 26. articulo quarto. vbi dicit, illum amari simpliciter, cui bonum aliquod amatur: bonum autem ipsum, quod alicui amatur, tantū amari secundū quid. Et confirmatur, quia finis cuius videtur multū conuenire cum medio, nam sicut medium est propter finem, & non è contrario, ita finis cuius est propter finem cui, & non è conuerso. Item sicut medium non est amabile, nisi propter proportionem, quam habet cum fine: ita finis cuius gratia non amatur, nisi quia est proportionatus & conueniens illi, cui amatur: ergo solus finis cui est proprie & vltimè finis.

Aliis autem è contrario videtur, solum finem cuius

III. Resolutio proximi dubij.

IV. diuisio in finem Cuius & Cui.

An ambo diuisionis membra participant proprie rationem finis.

Handwritten notes in the right margin, including 'S. V. A. N. E. Z.' and other illegible characters.